

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6455

**Autre(s) référence(s) :** Bates 28

**Auteur(s) :** Philippe Ier, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Beauvais, Saint-Quentin (église)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1079, janvier

**Lieu d'émission :** Gerberoy

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, souscrit le diplôme de Philippe [Ier], roi de France. À la demande de l'évêque Guy de Beauvais, Philippe [Ier] déplace l'église de Saint-Quentin de Beauvais et confirme toutes donations faites à ladite église.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 28, p. 179-182.

### Indications

Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 115a.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis. Philippus, Dei gratia Francorum rex. Instituta regia de rebus aecclesiasticis aut sæcularibus, publica vel privata, sine ulla iuris controversia, priorum regum iussu et auctoritate firmata, non violare sed inconcussa servare, nostra quoque, nulla iuris parte reclamante, præsentibus ac posteris servanda mandare regii culminis est opus implere. Unde notum volumus esse cunctis orthodoxis aecclesiae filiis, tam presentibus quam longe positis, viventibus et nascituris, quod sancte Belvacensis ecclesie Guido reverendus antistes, orator, aures adierit nostre pietatis, suppliciter nobis intimans decentissimam basilicam se fundasse in honore et memoria gloriosissimi Quintini martiris. A qua nostrae sublimitatis decreto, ita dominium postulat universae potestatis exterminari, ut grex dominicus in eadem basilica Deo serviens, nullius extraneae potestatis ibidem servientis possit infestatione turbari. Cuius petitioni libenter assensum prebemus et regiae maiestatis auctoritate sancimus ut deinceps in predicta basilica vel in vico eidem adiacente non episcopus, non aliqua quæcunque potestas aliquid sibi iuris usurpet, præter eiusdem loci prelatum aut eos qui ab eo potestatem acceperint, excepto quod Belvacensis sedis antistes, defuncto eiusdem loci prelato, electione fratrum alium ibidem substituet qui res ecclesie strenue et fideliter administret.

Ea quoque, quae eidem aecclesiae a predicto episcopo vel ceteris fidelibus donata sunt vel quandoque donanda, presenti testamento Deo et aecclesiis debita libertate donamus et inrevocabiliter de cetero possidenda, qua precellimus potestate, mandamus.

Quod si quis contra hoc auctoritatis nostrae decretum quicquam moliri presumpserit, quodque pro reverentia tanti martyris tam piæ sancitum est violare temptaverit, regiæ maiestatis reus iudicetur et sacrilega eius pervasio irrita penitus habeatur. Ut autem testatior auctoritas huius nostri possit esse precepti, sigillo nostro subter illud fecimus sigillari et nomina sublimium personarum, in quarum presentia confirmatum est, cum nota cuiusque pariter assignari.

Ego Phillipus rex Francorum Ego Guillelmus rex Anglorum  
mea manu subscripsi. mea manu subscripsi.

S(ignum) Rotberti, regis dapiferi. S(ignum) Galerandi camerarii. S(ignum) Hervei buticularii. S(ignum) Adam constabularii. S(ignum) Anselmi Beccensis abbatis. S(ignum) Rodulfi, Belvacensis ecclesie thesaurarii. S(ignum) comitis Hugonis, fratris regis. Interfuerunt autem et alii quorum nomina subscripta sunt : Ivo, eiusdem ecclesie prelatu, Alulfus monachus, comes Ivo de Belmonte, Albericus de Cociaco, Gaufridus de Calmonte, Lanscelinus casatus Belvacensis ecclesiae, Rodulfus casatus Belvacensis ecclesie, Ansoldus Meldensis, Ascelinus de Bullis.

S(ignum) + Manasse Remorum archiepiscopi. S(ignum) + Thetboldi Suessorum episcopi. S(ignum) + Vuidonis Belvacensis episcopi. S(ignum) + Gerardi Cameracensis episcopi. S(ignum) + Rogeri Catalaunensis episcopi. S(ignum) + Ratbodi Noviomensis episcopi. S(ignum) + Ivonis Silvanectensis episcopi. S(ignum) + Huberti Taruannensis episcopi. Signum Godefridi cancellarii. Signum Warini archidiaconi. Signum Arnulfi archidiaconi. Actum publice in obsidione predictorum regum, videlicet Philippi regis Francorum et Guillelmi Anglorum regis, circa Gerborredum, anno incarnati Verbi millesimo septuagesimo VIII<sup>no</sup>, anno vero regni Philippi regis Francorum IX<sup>no</sup>.X<sup>mo</sup>.

Recitatum vero et confirmatum est sub presentia predicti venerabilis Manasse Remorum archiepiscopi, et plurimorum sanctorum patrum, Suessionis in concilio, quod sub eodem archiepiscopo celebratum est, in aecclesia sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, XVI kalendas Maii. Ego Manesses Remensis archiepiscopus mea manu subscripsi.

Quicumque hoc firmamentum de cetero violare presumpserit, Xpisti martyris Quintini accusationem apud districtum iudicem incurrat, et nostra auctoritate nostræque congregationis in idipsum tamdiu anathema sit, donec digne satisfaciat.

Ego Gislebertus ad vicem Rogerii, cancellarii regis, relegendo subscripsi P.